



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Caput V. Quis possit iurare, atque ad Iuramentum admitti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

causis civilibus, nempe qui non habent ex masculis quatuordecim annos completos, ex feminis completos duodecim; nam in criminalibus etiam puberes, nisi habeant viginti annos, excluduntur. Si quando prædicti puberes, impuberesque admittantur, an sufficiant ad torturam, probationemque faciant, an solum magnam præsumptionem nostrum non est querere: vide Suarium *loc. cit.* Fagundez *l. c.* Sanchez *lib. 3. in Dec. cap. 3.* Juristas ab iisdem citatos.

Secundò, ob sexum repelluntur feminae: licet in quibusdam admittantur, &c.

Tercio, in poenam multi repelluntur, ut infames, perjuræ, &c.

Quartò, ratione solius criminis, homo vilis, inimicus, consanguinei, domestici repelluntur, vide apud citatos, citandisque.

Quintò, ob privilegium: ut Sacerdotes, vel Clerici, qui prohibentur jurare in manibus Laici sine licentia sui Prælati, Laici, inquam, ut Superioris, & ut Judicis. Possunt autem jurare in causa Dei, vel ad purgationem delicti, vel cum tertius laeditur de actu probationis, vel ob indemnitate Ecclesiæ, vel cum ab excommunicatione absoluntur, vel in causa propria quoad iuramentum de calumnia, &c. quæ, & similia lege apud citatos, & Farinaceum *de testib. q. 54.* Gomez. *c. 12.* aliisque, inter quos sit Bonacina *tom. 2. disp. 10. circa 8. Decal. præcep. q. 3. part. 3.* qui hæc in compendium accuratè redigit.

CAPUT VI.

De Poenis Perjurij.

1. IN jure Civili valde incertum est, an poena aliqua determinata quoad forum externum pejeranti sit impedita. Quoad forum Conscientiæ præter peccatum mortale, an in jure Canonico sit aliqua poena eidem inflicta queri potest, & nullam esse ipso facto impostam certum sit.

Imponendæ autem sunt tres: Infamia juris: Privatio, seu Repulsio à testificando: Alia poena arbitraria à JUDGE decernenda: quæ omnia satis sit innuisse. Legatur Suar. *lib. 3. de jur. cap. 20.* Castro Pal. *disp. 1. de jur. p. 11.* aliisque *ibid.*

CAPUT VII.

De Obligatione à Juramento.

DEobligaris à juramento, Irritatione, Remissione, Dispensatione, seu Relaxatione, Commutatione. Jam de singulis.

§. I. De Irritatione.

1. QUANDO is, qui dominativam habet potestatem in re, tuasque res, ab obligatione juramenti omnino te liberat, dicitur tuum juramentum irritare. Omnes ergo illi juramenta irritare ita, ut nunquam reviviscant, possunt, ex Less. Sanchi. aliisque apud Bonac. *tom. 1. disp. 4. de jur. q. 1. p. ult. n. 6.* qui aliis legitime præsumunt, quales sunt Pater, Prælati Regularis, Dominus, Vir, respectu Filij, Subditi, Servi, Vxoris. Ita S. Thom. *2. 2. q. 86. art. 9. ad 3.* Azor. *1. part. lib. 11. cap. 10. q. 5.* Laym. *lib. 4. tract. 3. cap. 11. n. 1.* aliisque passim, de quibus explicatis, cum de Voto *infra, cap. 16. §. 3.*

2. Id tamen est intelligendum cum distinctione: nam juramenta soli Deo præstita poterunt hi irritare prædictis, etiam sine causa; sicuti possunt, ex probabili sententia (de qua *re ibid. infra*) & vota: sic Sanchez *lib. 3. in Dec. cap. 19. n. 2.* aliisque contra Val. ab eodem citat, verò juramenta in aliorum utilitatem emissâ, tunc solum, & quidem etiam sine causa possunt irritare, quando juramenta

CAPUT V.

Quis possit jurare, atque ad juramentum admitti.

1. PRÆTER Deum, qui, quando dicitur in scripturis jurare, (ut Hier. 22. *Ecce ego juravi in nomine magno, &c.*) impropiè jurare dicitur, cum Superiorum non habeat: Christus ut Homo, Angeli, Demones, Dammati, Beati, homines viatores jurare possunt, quia Superiorem Deum cognoscunt, qui adhiberi ab ipsis in testimonium veritatis potest. Rursus ex hominibus possunt omnes utentes ratione, etiam si sint impuberes, *cap. 1. de delictis puerorum: lege Suar. de jur. lib. 1. cap. 14. num. 5.* unde & juramento se obligare: hæretici item, infidelisque omnes, si modò Atheos excipias, qui ex errore (cum Deum Superiorem non agnoscant) ipsum invocare non possunt. Sed hæc, & similia sunt speculativa, quæ vide apud Doctores, Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 1. de jur. c. 44. l. 2. in Dec. cap. 5.* aliisque.

2. Illud ad praxim pertinet scire, quinam in judiciis admittantur ad juramentum, qui repellantur. Primò ob defectum ætatis perfectæ repelluntur impuberes in